

odorum decreta de sola confessione loquerentur, cum tunc praxis foret ut laicis quoque confessio fieret, nihil reapse fuisset concessum diaconis prae aliis in extrema necessitate. Respondeo diaconis permissum fuisse audire confessiones et poenitentias dare ex auctoritate, ut administrata communione reconciliarent poenitentes, quemadmodum Cyprianus alique, quos citavimus, olim statuerunt. At si contendas valide tunc diaconos non solum confessiones sacramentales excipere, sed et absolvere potuisse, primum contradicis testimoniis citatis eiusdem aetatis, tum rem prorsus inexplicabilem ponis, cur scilicet id vetitum ipsis tandem ea aetate fuerit, cur deinceps per tot secula nunquam in Ecclesia illud ius probatum et in actum deductum fuerit, etiam gravissima urgente necessitate. Cf. n. seq. Habes ergo solum aliquod factum, quod diaconi confessiones exceperint, et etiam absolverint: sed factum solum, ipsumque a legitima auctoritate reprobatur, quid probat?

V. Ex hactenus demonstratis illud quoque constat praerogativam hanc *solis Sacerdotibus* competere *iure divino*. Et quidem competit iure divino: competit enim propter verba Christi conferentis potestatem remittendi et retinendi peccata Apostolis, eorumque successoribus, qui hac in re sunt Sacerdotes. Competit iure divino ipsis solis; quia hoc ius divinum iis solis competere potest, qui vel Apostoli sint, vel eorum successores; iis enim tantum est datum: nequit autem competere hoc ius nisi quibus est datum a Christo. Porro solos sacerdotes esse in hoc munere successores Apostolorum Ecclesia semper arbitrata est, h. e. censuit Ecclesia nullum esse praeter Sacerdotes vel extraordinarium ministrum huius potestatis permissum a Christo nullamque sibi facultatem factam esse concedendi aliis praeter Sacerdotes potestatem absolventi. Quod liquet ex hactenus allatis testimoniis Patrum Scriptorumque Ecclesiasticorum ac definitionibus Ecclesiae iam citatis, atque ex ipsa illa praxi quae non paucis in Ecclesiis penes non paucos fideles viguit et ab Ecclesia erat cognita atque a Doctoribus probata, praxi inquam confitendi in necessitate aliis quam Sacerdoti. Ea enim etiam admissa, sensus et persuasio Ecclesiae, ut ex doctoribus liquet, erat, confessionem illam non esse proprie sacramentalem nec qui eas audiebat confessiones, posse absolvere. Atqui si unquam Ecclesia censuisset esse, praeter Sacerdotem, alium ministrum extraordinarium absolutionis, vel se posse hanc facultatem aliis facere, profecto in casu, qui infrequens non est, necessitatis, cum consuetudo confitendi aliis quoque recepta esset, sensus hic Ecclesiae sese explicasset, ac declarasset Ecclesia, cui potissimum curae est ne aliquis *pereat* (Trid. sess. XIV. p. VII.), diaconis saltem eam potestatem fieri in casu ne-

cessitatis. Cum igitur etiam tum Ecclesia in ea sententia permaneret sine Sacerdote Sacramentum non fieri; dicendum est Sacerdotem iure divino unicum esse in quolibet casu ministrum absolutionis.

THESIS XVI.

Cum sententia absolutionis, quam Sacerdos profert, sit sententia iudicialis, praeter potestatem ordinis requiritur in Sacerdote potestas iurisdictionis ut valida sit absolutio. Hanc autem potestatem non ex vi ordinationis per characterem sacerdotalem, sed per Ecclesiae concessionem Sacerdotes obtinent.

I. Duplex distinguitur potestas, *ordinis* et *iurisdictionis*. Potestas ordinis est principium ex vi ordinis suscepti, existens indelebiter in homine, alicuius effectus Sacramentalis. Potestas iurisdictionis, sive quod idem est, iurdictio est potestas dirigendi et efficaciter urgendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Quare triplex est eius species, legislativa, iudiciaria, coactiva (cf. cl. Tarquini, Iuris Publici Eccl. L. I.). Potestas ordinis quadam consecratione obtinetur; potestas vero iurisdictionis obtinetur voluntate vel Dei solius eam suo Vicario communicantis, vel hominis eam suis inferioribus participantis (s. Thomas II. III. q. XXXIX, a. 3). Terminus, in quem agit potestas ordinis, est simpliciter subiectum aliquod effectui recipiendo idoneum, terminus vero, in quem agit potestas iurisdictionis, est subditus, qui est terminus relativus essentialis ei, qui pollet potestate hac, nempe superiori. Alterutra potestas potest esse sine alia, ut potestas iurisdictionis Episcopalis tota est in Episcopo confirmato nondum consecrato, sine potestate ordinis Episcopalis; et haec est sine illa in Episcopo consecrato nullam habente Dioecesim.

Potestas ordinis non eo spectat ut faciat esse legitimum actum, qui ab ea prodit, sed tantum esse validum sive efficacem; se enim illa habet perinde ac causa aliqua physica, quae potens est effectum producere, ad cuius efficaciam nullo modo exigitur, ut operatio causae sit moraliter licita.

Potestas ordinis alia est completa, alia incompleta. *Completa* est, quae sibi sufficit ad valorem actus, ut potestas consecrandi corpus Christi, ordinandi, confirmandi. *Incompleta* est quae sine alia potestate, quae est iurisdictionis, non sufficit, ita ut, si sola sit, faciat nihil, et vicissim potestas iurisdictionis, sine potestate ordinis, pariter nihil faciat. Talis est potestas absolventi a peccatis. Simplex Sacerdos habet potestatem ordinis, sed, si careat iurisdictione, ab-

solvit invalide. Parochus institutus, etsi nondum Sacerdos, habet iurisdictionem in foro interno, unde eam delegare potest; sed eius absolutio nulla esset.

Porro id est quod hac thesi probandum sumimus, cuius modo demonstrationem aggressuri sumus, postquam pauca de potestate iurisdictionis speciatim notaverimus.

Itaque habere in alium potestatem iurisdictionis, perinde est ac habere illum subditum sibi; subditus enim correlativus est superiori, hic autem est qui habet iurisdictionem in alium. Unde privato homini subditos assignare tantumdem est ac ipsum eorum superiorem constituere, seu iurisdictionem in illos tribuere. Sicut ergo exercitium sive actus potestatis iurisdictionis supponit ipsam potestatem sive dignitatem superioris in agente, ita quoque supponit rationem subditi in eo, erga quem exercetur; subditus enim est relativus superioris, et relativa sunt simul.

Species quaedam potestatis iurisdictionis est potestas iudiciaria, cuius proprium est circa actiones hominum sententiam ferre, reum damnare, insonem seu dignum solutione absolvere, poenasque discernere. In Ecclesia vero sicut duplex est forum, ita duplex est potestas iudicialis; potestas nempe in foro externo, in quo iudicium de actionibus fidelium fertur, prout referuntur ad Ecclesiasticam societatem, et potestas in foro interno, in quo iudicium de iisdem fertur, prout referuntur immediate in Deum, seu ut sunt offensa Dei. Porro potestatem iurisdictionis in foro interno dicimus necessariam esse Sacerdoti ut valide absolvat, eamque vi ordinis non habere, sed ab Ecclesia accipere.

II. Omnis ad rem hanc spectans doctrina his capitibus continetur. 1° Certum est ad valorem absolutionis requiri potestatem ordinis. Probavimus enim in praeced. Thesi solum Sacerdotem iure divino ministrum esse Sacramenti; ergo Sacerdos ratione characteris sacerdotalis aliquid potest quod alii non possunt; est igitur in eo potestas aliqua ordinis ad absolutionem sacramentalem impertendam: haec autem potestas ordinis necessaria est valide ad absolvendum, si solus Sacerdos potest valide absolvere.

2° Ut valida sit absolutio, requiritur in eam proferente potestas iurisdictionis. Nam qui absolutionem profert, is prius causam iuridice cognoscit, sententiamque profert iudicalem, qua peccati vinculum dimittitur, idemque potest vi eiusdem potestatis sententiam ferre retentionis, qua obligatio poenitentiae imponitur (Th. XI), idemque potest propter potestatem ligandi obligationem poenitentiae subeundae imponere; atqui hi actus sunt omnes per se actus iurisdictionis et non nisi in subditos possunt valide exerceri; necesse est

ergo ad eorum valorem ut qui eosdem exercet fretus sit potestate iurisdictionis in eum, erga quem hos actus exercet. Scilicet potestas ligandi et solvendi, retinendi et remittendi peccata, etsi sit potestas ordinis, est etiam intrinsece potestas iurisdictionis; ideoque actus solutionis aut ligationis, remissionis aut retentionis peccatorum invalidus est, si fiat in non subditum, h. e. si fiat ab eo qui caret iurisdictione. Haec est argumentatio Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 7: « Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem ». Idem tradiderat Eugenius IV in Decreto pro Armenis: « Minister huius sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris ».

Corollarium. Ergo quod iurdictio postuletur, colligitur ex ipsis verbis institutionis, ex quibus constat potestatem esse iudicalem.

3° Presbyter non habet hanc potestatem iurisdictionis ex eo solum quod characterem habet sacerdotalem, sed character haberi potest sine ulla potestate iurisdictionis. Hoc non colligimus ex ipsis verbis institutionis, sed ex sensu Ecclesiae. Id sane liquet primum ex ipso Tridentino. Cum enim Tridentini Patres aiunt nullius momenti esse absolutionem, quae profertur a Sacerdote in eum, in quem non habet iurisdictionem, manifeste supponunt Sacerdotem esse posse, qui careat iurisdictione. Dices supponi tantum quod careat Sacerdos iurisdictione erga aliquem, h. e. careat iurisdictione universalī, quamvis erga aliquos habeat. Verum ea quoque limitata interpretatione admissa, id consequitur, ergo quoad aliquos potestas ordinis non est ex se connexa cum potestate iurisdictionis; ex hoc vero id quoque colligitur: ergo quoad nullos haec connexio adest. Ratio est, quia potestas ordinis immutabilis est eademque quoad omnes, qui sint capaces effectus illius potestatis, ut potestas ordinandi, confirmandi, consecrandi: si ergo quoad aliquos est ex se connexa cum iurisdictione, ergo quoad omnes: et vicissim, si quoad aliquos est seiuncta a iurisdictione, ergo quoad omnes. Ratio scilicet cur habeatur iurdictio quoad aliquos vel est vi ordinis tantum, et sic debet esse ad omnes, vel est ex aliqua alia hypothesi, et sic potestas non habetur ex eo tantum quod habeatur character sacerdotalis.

Deinde omnis potestas iurisdictionis in Ecclesia adaequate dividitur in ordinariam et delegatam. De hac enim tantum Canones et Concilia loquuntur, neque alia excogitari potest. (cf. Suarez Disp. XVI Sect. 3). Atqui Sacerdos vi ordinationis non habet potestatem

ordinariam, nexam nempe ex iure alicui muneri vel officio, nam potestas huiusmodi ordinaria competit Pastoribus, qui sunt Episcopi habentes oves, et Parochi; Sacerdotes vero vi ordinationis nec Parochi nec Episcopi constituuntur. Neque habent delegatam; non enim Episcopi ordinantes intendunt potestatem suam ordinatis delegare.

Et sane si potestas iurisdictionis vi ordinationis haberetur, ea dicenda esset a Deo immediate cum ipso caractere conferri et esse pars aut elementum ipsius characteris; et idcirco ea non posset ab Ecclesia auferri. Nimirum posset quidem Ecclesia efficere ad summum ut usus eius potestatis esset illicitus, sed nequiret facere ut esset invalidus, quemadmodum contingit quoad alias potestates ordinis. Atqui Ecclesia decernit nullius momenti, h. e. nullum valorem habere absolutionem latam a Sacerdote non habente iurisdictionem: ergo.

4° Proprium est ergo huius potestatis ordinis, quod sine commissione Ecclesiae non solum illicitus, sed invalidus quoque sit eius actus. Ratio patet ex speciali natura huius actus, qui est etiam actus iudicialis, ad quem potestas iurisdictionis postulatur. Sicut ergo Sacramentum matrimonii, eo quod quidam contractus est, subest conditionibus contractus; ita hoc Sacramentum, quia quoddam iudicium est, subest conditionibus iudicii.

Quocirca in aliis sacramentis administrandis iurisdictionis est conditio extrinseca actui regitque usum potestatis ordinis, illud praestans ut sit legitimus; in hoc sacramento est conditio intrinseca actus, qui est essentialiter actus iudicialis, ideoque iurisdictionis.

5° Ergo tandem potestas iurisdictionis, quae per solam ordinationem non obtinetur, accipitur quidem a Deo, sed mediante Ecclesiae delegatione, nempe concessione eorum, qui illam obtinent in eos, in quos iurisdictionem conferunt. Quocirca praeter Summum Pontificem, qui eam a Deo immediate habet, ceteri Sacerdotes ab Ecclesia, h. e. a suis superioribus iurisdictionem absolvendi mutuari debent. Tota enim potestas iurisdictionis, quae est plenitudo primatus, inest Romano Pontifici immediate a Deo, ceteri vero eatenus iurisdictionis partem obtinent, quatenus in illos a Romano Pontifice derivatur. Necesse est enim ut a capite in cetera membra omnis iurisdictionis derivetur; unde Romanus Pontifex est, qui iurisdictionem confert Episcopis (ut ex Tractatu De Romano Pontifice supponimus) aliisque, quibus velit, et Episcopi inferioribus. Ergo presbyteri ab Episcopis, Episcopi a Romano Pontifice iurisdictionem absolvendi accipiant oportet, ut Deus quidem eam omnibus conferat sed mediante Ecclesiae auctoritate.

III. Quo ergo spectat potestas ordinis in actu absolutionis? Dici

primum potest eo spectare ut constituat subiectum capax accipiendae iurisdictionis in foro interno, eaque accepta, administrandi Sacramentum Poenitentiae; ideoque potestatem hanc ordinis esse deputationem subiecti, quam Deus ipse per characterem Sacerdotalem facit, ad Sacramenti Poenitentiae administrationem. Sed ut plenius res declaretur, advertendum est cum Suarez l. c. quod in actu absolutionis duae veluti formalitates distingui possunt, nam et *sententia est iudicialis*, et *actio sacramentalis*. Formalitates inquam, nam non sunt duae res separabiles, sed duae rationes eiusdem rei, ut nullus sit actus, si alterutra desit, quemadmodum *contractus* et *sacramentum* in matrimonio christiano. Porro prout est sententia iudicialis, requiritur ut illam proferens habeat potestatem iurisdictionis; prout autem est actio sacramentalis, h. e. effectiva gratiae, exigitur potestas ordinis, quae est ad efficienda sacramenta. Minister ergo idoneus Sacramenti Poenitentiae ille est, in quo utraque potestas coalescit, sive, ut ait Eugenius IV, Sacerdos habens auctoritatem absolvendi. Ambae ergo potestates invicem se complent, et altera est alterius conditio essentialis ut absolutio Sacramentalis existat.

Iam vero ex eo quod formalitas haec iurisdictionis connexa est intrinsece cum formalitate sacramenti in actu absolutionis validae, sequitur quod iurisdictionis haec in sacramento poenitentiae differat quodammodo ab alia iurisdictione, quae in foro externo exercetur, induatque quamdam rationem propriam potestatis ordinis. Licet enim ea per commissionem Ecclesiae obtineatur h. e. ab iis, qui iam sunt superiores eorum, in quos iurisdictionem alicui conferunt, exercitium tamen eius non subest iudicio superioris, et cuiuslibet sacerdotis sententia est inappellabilis in foro humano. Est enim actio sacramentalis, in qua exercenda sacerdos est immediate minister unius Dei, qui est semper causa principalis in Sacramentis.

Dices, nonne iis verbis: accipite Spiritum S. quorum remiseritis etc. collata est Apostolis completa potestas absolvendi? nonne eadem verba repetuntur omnibus Sacerdotibus in ordinatione? Cur ergo in his id non valent quod in Apostolis valuerunt?

Respondeo. Apostolis collata est illis verbis potestas completa absolvendi, ideoque et potestas iurisdictionis in foro interno et in Apostolis collata est quoque eorum Successoribus. Successores vero Apostolorum in hac potestate non sunt actu ii, qui sint simplices Sacerdotes, sed Sacerdotes cum iurisdictione, h. e. Sacerdotes habentes auctoritatem absolvendi, quemadmodum Episcopi successores Apostolorum ii proprie sunt, qui iurisdictionem habent in Ecclesia. Quam quidem iurisdictionem Apostoli immediate a Christo, Sacerdotes ceteri ab Ecclesia accipiunt. Porro cum eadem verba in ordi-

natione Sacerdotis proferuntur; primo, non est certum esse formam vel partem formae essentialis ordinationis; secundo, ea intentione tantum ab Ecclesia dicuntur ut significetur, (et conferatur, si per ipsa confertur) potestas ordinis, sitque qui ordinatur per characterem Sacerdotalem deputatus iure divino ad ministerium Sacramenti Poenitentiae.

Dices rursus: nonne omnibus Sacerdotibus potestas competit absolventi in articulo mortis, etsi nondum ab Episcopis facultas facta sit excipiendarum confessionum?

Respondeo id quidem verissimum esse, idque doceri a Tridentino Sess. XIV, ep. 7.; ad hoc autem non est opus ut dicamus Sacerdotes vi ordinationis hanc facultatem habere, sed dicendum est Ecclesiam ipsam hanc potestatem omnibus facere. Semper enim verum est absolutionem esse sententiam iudicalem, ad eamque valide proferendam requiri iurisdictionem vel ordinariam vel delegatam, quam sola Ecclesia dare potest.

IV. Ex dictis sequitur 1) falsam esse doctrinam, quae statuit potestatem iurisdictionis dari ipsa ordinatione.

2) Falsam quoque esse doctrinam docentem per ordinationem Sacerdotis conferri quidem potestatem iurisdictionis cuius tamen exercitium Ecclesia impedire potest et impedit, concessionemque Ecclesiae eo spectare ut haec prohibitio tollatur et ita ea iurdictio sit expedita ad actum. Cf. p. II. n. 3.^o

3) Perinde esse dicere Ecclesiam conferre Sacerdoti potestatem iurisdictionis, et Ecclesiam esse, quae subditos in foro interno assignat Sacerdoti.

4) Posse quidem dici potestatem ordinis, quae per characterem habetur, esse potestatem inchoatam absolventi, improprie vero dici eam esse vel potestatem iurisdictionis inchoatam vel habitualem; quia nulla potestas iurisdictionis neque est inchoata neque habitualis: improprie quoque dici esse iurisdictionem activam ex parte Sacerdotis, cui tamen necessaria est ad actum applicatio materiae, quae applicatio fit ab Ecclesia subditos assignando, ut censet Becanus (Theolog. Tom. VI. c. 38, q. 2); quia nulla iurdictio non est iurdictio activa, et quia qui dat subditos seu facit hos esse subditos tuos, confert hoc ipso tibi iurisdictionem activam in ipsos.

5) Potestatem iurisdictionis tum essentia sua tum modo, quo obtinetur, differre a potestate ordinis. *Essentia*, quia potestas iurisdictionis est potestas iudicandi et obligandi, quae in subditos exercetur; potestas ordinis est aptitudo ex iure divino ad habendam potestatem iurisdictionis atque principium necessarium ut absolutio sit *sacramentalis*. *Modo*, quia prior intrinsece per concessionem Eccle-

siae obtinetur, altera intrinsece per consecrationem sive ordinationem.

V. Quaeri autem potest a quo potestatem habeat, qui Romanum Pontificem absolvit. Respondent quidam confessarium Romani Pontificis habere illam immediate a Deo. In quam sententiam inclinare videtur Canus Relect. De Poenit. p. 5. inquit: « Christum instituisse et obligasse Pontificem summum, ut coram Sacerdote compareat, tametsi hanc illi dederit facultatem ut eligat quem maluerit. Quam traditionem, sicut et ceteras Christi, licet scriptas non habeamus, ab Apostolis accepimus ». Verum ea sententia forte non est necessaria. Nam, ut monet Lugus Disp. XV, sect. 2. non repugnat ex terminis quod aliquis det alteri iurisdictionem supra se; etenim respublica potest communi consensu aliquem supremum Principem eligere, cui tribuat iurisdictionem et cui parere teneatur. Idcirco Christus, qui concessit Summo Pontifici plenitudinem potestatis, sicut dedit ei potestatem communicandi iurisdictionem super alios, potuit etiam dare illi hanc potestatem conferendi suo confessario iurisdictionem supra se, seu facultatem ut se redderet subditum confessario; quandoquidem hoc est in bonum ipsius Pontificis, et ea potestas necessaria est ut Sacramentum esse possit. Suscipiens autem Sacramentum Summus Pontifex eiusdem legibus tenetur, ideoque tenetur, non minus ac alii Christiani, obedire confessario suo in iis, quae hic praecipere potest.

VI. Nota non adversari demonstratis doctrinam, quam tradit s. Thomas in IV d. XX, q. unica a. 1. ad 3.^m q.^m « Quilibet Sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes et quantum ad omnia peccata; sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesiae habet iurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet ». Haec enim potestas, quam quilibet Sacerdos habet, non est potestas iurisdictionis, quam Ecclesiae ordinatio aut coarctet sive impediat, aut relaxet; sed est potestas ordinis, qua accedente iurisdictione per ordinationem Ecclesiae, Sacerdos quivis potest absolvere. Sane quod iurdictio non vi ordinis, sed auctoritate Ecclesiae habeatur, s. Doctor et docet in Summa loco superius citato inquit: « potestas iurisdictionis est, quae ex simplici iniunctione hominis confertur »; atque hic quoque ad 1.^m cum ait: « Quia Ecclesia acceptat ut quilibet Sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis iurisdictionis habet usum, quamvis iurisdictione careat ». Exclusa ergo acceptatione Ecclesiae, caret Sacerdos iurisdictione; eiusque usum habet in articulo mortis quilibet Sacerdos eo quod id Ecclesia acceptat et probat; atque ita usum habet ut tamen iurisdictione,

nempe per modum habitus, careat; quia habet illam veluti in actu transeunti pro ea vice. Igitur ab Ecclesia et usus iurisdictionis et ipsa habitualis iurisdicatio dependet.

VII. Hoc ergo tanquam principium in hac materia teneatur: sententiam absolutionis, quemadmodum et retentionis, non nisi ab habente iurisdictionem proferri valide; nullum esse iudicium Sacramentale quod in non subditum feratur. Id certe statuit, ius divinum declarans, Synodus Lateranensis IV sub Innocentio III. cn. 21: « Omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno *proprio Sacerdoti*, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere... si quis autem *alieno Sacerdoti* voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio Sacerdote, *cum aliter ille ipsum non possit solvere et ligare.* » Proprius Sacerdos (1) est certe talis ut iurisdictione potiatur in poenitentem. Hinc Bonifacius VIII in 6^o De Poenitentis et remissionibus c. 2. ait: « Nulla consuetudine potest introduci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare ».

Cf. et damnationem propositionis 37^a Synodi Pistoriensis, in qua propositio asserens ad validum huius potestatis usum non esse necessariam iurisdictionem ordinariam vel delegatam, dicitur *falsa, erronea, Concilio Tridentino contraria*. Porro propositio falsa et erronea in materia fidei, contraria Concilio rem dogmaticam tradenti, est certe contra revelationem; ideo et tanquam haeretica haberi potest.

THESIS XVII.

Iurisdictionem hanc ministris inferioribus concessam possunt iure suo limitibus coercere superiores Praelati, Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua Dioecesi, per casuum reservationem, quae est restrictio iurisdictionis in subditos, ita ut prorsus invalida reddatur absolutio.

I. Reservatio casuum est limitatio iurisdictionis inferiorum ministrorum a superiore Praelato facta quoad aliqua peccata subditorum praelati superioris, qui sibi peccata reservat. Cum enim sit superioris

(1) De controversia exorta circa significationem huius termini complexi tractat Launoius in opere cui titulus: *Ecclesiae Traditio explicata circa Canonem: Omnis utriusque sexus*, qui tamen ipse solus non est legendus, sed adhibere oportet probatos Theologos e. g. Tournely De Sacram. Poenit. q. VI. a. 3. et Natalem Alex. Disp. IV. ad Sec. XIII.

conferre inferioribus iurisdictionem super alios, potest superior maiorem vel minorem potestatem conferre, potest datam revocare, minuere sicut et amplificare. Porro cum Episcopus e. g. casus reservat, is negat vel adimit suis inferioribus iurisdictionem quoad ea peccata, quorum proinde iudicium sibi reservat. Obiectum, circa quod limitatur iurisdicatio, sunt peccata: diximus autem peccata subditorum illius, cui reservantur peccata, sive reservantis, quod evidentissimum est. Qui enim reservat peccata, ipse vindicat sibi exclusis inferioribus potestatem absolvendi ab iis peccatis reservatis, atqui nemo potest absolvere nisi peccata suorum subditorum; ergo haec sola possunt reservari. Haec est generalis regula, ait Lugus Disp. XX, n. 9. « Eorum peccata posse reservari, qui subditi sunt reservanti ».

Adverte rursus cum Suarez Disp. XXXI, sect. 3, quod si habeatur ratio loquendi Concilii Tridentini, obiectum immediatum, circa quod tollitur iurisdicatio, sunt peccata potius quam personae; non enim ait Concilium *Sacerdotem nihil posse in personam habentem casus reservados*, sed *nihil posse in casibus reservatis*. Nempe causae quaedam graviores, ut idem Tridentinum loquitur, reservantur iudicio superioris, et propter causas reservantur personae, quae iis sint obnoxiae, ita ut quoad illas causas alii Sacerdotes non sint iudices legitimi; neque proinde valeant absolvere personas eorum criminum reas.

Quaestio hac in re duplex fieri potest; prima, utrum reservatio valida sit, altera utrum sit licita.

II. Iam vero quaestio prima de validitate huc redit, utrum praelatis superioribus competat ius reservandi sibi absolutionem quorundam peccatorum. Porro de hac re nequit dubitari. Illud ius testatur et asserit Concilium Tridentinum Sess. XIV, cp. 7. tum Summo Pontifici pro universa Ecclesia, tum singulis Episcopis pro suis Dioecesibus. Ratio evidens est. Omnis enim iurisdicatio derivatur a Summo Pontifice in ceteros ordinariam potestatem habentes et ab Episcopis in presbyteros, et sine hac communicatione a Superiore facta, nulla est iurisdicatio inferioris. Est autem haec communicatio libera eademque est divisibilis, ut non opus sit totum concedere cum aliquid datur. Eo ipso vero quod nisi a superiore accipiatur iurisdicatio, ea nulla est in inferiore et ipse nihil facit si tentet absolvere, sequitur quod reservatio, quae est negatio ulterioris facultatis, valida sit, h. e. efficiat ut inferior possit nihil in reservata.

Ad alteram quaestionem quod spectat; ut usus talis iuris sit licitus, requiritur ut adsit ratio, quae hunc usum honestum reddat.